



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.

Pontano, Giovanni Gioviano

Venetiis, 1518

Tumulus Castæ matronæ parum pudicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13534

TVMVLORVM

De me igitur seruare fidem, ac retinere pudorem,
Atq; unum de me discite inire torum.

Nomen erat mihi Pura, heu q; nec pura nec insons
Vixi. nunc uitæ crimina morte luo.

VERONILLÆ puellæ. ipsa loquitur.

Salua tibi sit ut urna precor, quæ ad flumina pergis,

Tu uero ut mihi sit urna precare leuis.

Siste. mora est breuis. hoc lege. Veronilla quiesce,

Manibus e& bene sit, e& bene sit cineri.

Mutua sed faciam. bene sit tibi, sit bene natis,

Sit quoq; cum placido lis tibi nulla uiro.

SANCTIAE PVELLAE Neapolitanæ.

ipsa uirum suum pictorem alloquitur.

Quod uitam sine me coniux iniuitus agebas,

In lucem ipse artis munere restitus.

Sic tibi nec sine me uita est ingrata futura,

Nec mors quam fuerat, tam sit acerba mihi.

Sed neq; me ad lusus, aut oscula grata uocabis,

Mutua ne'ue etiam uerba referre putas,

Nam corpus pictura refert, non corporis usum.

Atq; hæc nunc uates, Sanctia non loquitur.

CASTA E matronæ parum pudicæ.

Casta uiros habuit septem, quos extulit omnes.

Hoc ægre est, quod non extulerit totidem.

In tumulo scribi hoc uoluit, q; nomine Casta
Nunquam casta uiri manserit in thalamo.

MILVII HOMINIS RVSTICANI.

Falco pater mihi, Coruus aius, materq; Columba,
Pica auia est. quid plus? Milvius ipse uocor.
Ne ne sarcophago condas. sit in arbore bustum.
Nidus sit tumulus, nidor et ipse innat.

INFANTVLI in pominati.

Nascitur hic, obijtq; simul, simul ipse sepultus.
Vita obitusq; simul. nomen at unde habeat?

FOCILLAE puellæ.

Frigidulo iaceo in thalamo, licet ipsa Focilla.
Ligna nec extincto est qui ferat ulla foco.

GALLA E sterlilis fœminæ.

Galla fui, Gallo coniux bene iuncta marito,
Verum nec pullos, oua nec ulla dedi.

HYAE inertissimi hominis.

Nunquam uixit Hyas, sed Hyas hoc conditur antro.
Si uixit nunquam, mortuus est nec Hyas.

ERRIS NANI.

Et tumulus brevis est, titulus brevis, et breue nomen.
Et iacet hic nanus. nanula testa tegit.